

NATALI
ACADEMIAE VIADRINAE,
^{QVVM}
CLEMENTISSIMO AVSPICIO AVGVSTI
BORVSSIAE
REGIS,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI BORVSSIAE,
^{ATQVE}
ELECTORATVS BRANDENBVRGICI
HEREDE,
RECTORE *MAGNIFICENTISSIMO,*
^{CIO IDCCVI.}
DIE XXVI. APRILIS,
^{QVO.}
SAECVLO ALTERO AD FORTVNATVM EXITVM PERDVCTO,
TERTIVM FELICITER INCHOAT,
MAGNIFICENTISSIME CONCELEBRARETVR,
GENETHLIACON
DICAT,
MAXIMIQUE REGIS
IMMORTALIBVS IN ORBEM LITTERATVM
MERITIS
HVMILLIME PLAVDIT
SEBASTIANVS KORTHOLTVS,
PHILOSOPHIAE MORAL. ET POESEOS PROF. ORDIN.
ITEMQUE ORDINIS SVI H.T. DECANVS.

K I L O N I,
LITTERIS BARTHOLDI REVTHERI, ACADEM. TYPOGR.



1712

NATALI
ACADEMIAE VIADRINAE
Clementissimo Vespicio Augusti
BORVSSIAE
REGIS
Serenissimo Principi ac Domino
DOMINO

FRIDERICO
WILHELMO
REGNI BORVSSIAE

ELECTORATVS BRANDENBVRGICI
HEREDE
RECTORA CVM MENTORATISSIMO

Die XVII Aprilis
Secundo Activo ad Constituta Extra Producta
Tertium Elector Elector
Maximissimum Conciliarium

GENETHALGON
MAXIMIOVE REGIS

IMMORTALIS IN OMNIBUS CITATEM

SEBASTIANVS KORTHOLTVS
Electoris Regis ac Principis
Honorarium et al. Regium

LITERS SATHORI REVIHIN ACADAM THOON





QRbis Atlas docti, famulos cui Pregela fluctus,
Salaque parentes Ruraque voluit aquas.
Et cui deuotus summissum subiicit alueum
Odera, qui pariter sub tua iura fluit.

Te supra nostram virtus quem summa camenam,
Et supra proauos, inuidiamque locat;

Praepetibus tollant pennis ad sidera cycni,
Haec subiecta Tibi flumina quotquot alunt.

LEIBNITIVS nostri decus admirabile saeculi,
Cui Gangi similis sermo Tagoque fluit,
Augustum digno Maecenas carmine dicat:
Nam, ceu Tuscus eques, carminis arte valet.

BESSERVS, qui culta mouet Te pleetra iubente,
Cui iustos referunt fila diserta sonos,

Quid dignum dictu compluribus egeris annis,
Quaque decet nomen praedicet arte tuum.

Non fatis apta meae sunt grandia carbasae cymbae,
Et nescit pelago parua volare ratis.

Sufficit argumenta meae fatis ampla camenae
Clarior innumeris solibus vna dies,

A 2

Quas

PK Tg 1028

x 30475 03

Quas non partiris forti cum milite palmas,
Atque oleam fronti par diadema tuae,

Quaeque penes Viadrum tibi Delia ferta virescunt,
Materia numeris conueniente, cano.

Non alia possum fieri potiore disertus,
Si faueas coeptis, maxime Phaebe, meis.

Est locus illustri Viadrus qua flumine stagnat,
Cedere cui Clariae cogeris humor aquae.

Hac primus ripa IOACHIMVS condidit arcem
Sacrandam musis, Aoniamque domum.

Exacto rursus modo bis centesima saeclo
Instat hiems, ex quo digna virere fuit,

Ergo regifica Tibi, Regum maxime, pompa
Natalem Pindi stat celebrare diem.

Festa dies fulget: quam Tu magis omnibus vnam
Illustras radiis verus Apollo tuis.

Est Gnatus Tibi, felicem CHARLOTTA maritum
Qua digna fecit Principe prole Patrem.

Virtutum pariter, ditionum & nominis heres,
Et qui se patrii sanguinis esse probat.

Et titulos superat factis, & laudibus annos,
Et famam meritis, & bonitate pares.

Pareat vt Patri musas regit ille, Tibique
Paret, quo musas norma caputque regat.

Quam bene conspirant, & sede morantur in vna
Regnandique artes, obsequiique fides.

Qualis



Qualis vbi rex alituum se tollit in auras,
Et prolem aëria ducit in astra via,

Et Solis docilem radiis obuertit, vt ore
Erecto flammam sustinuisse queat;

Haec se non humili declarat origine natam,
Immoto Phaebi lumine passa iubar.

Et patriis signata legit vestigia pennis,
Gessit & aetherias sponte subire plagas.

Nec mora: regnanti obsequitur genus omne volantum,
Et plaudit capiti subdita turba suo.

Haud secus imperiis Gnatum maioribus aptas,
Qua pateatque doces mollis ad astra via.

Illum musarum chorus & delectat Apollo,
Mitiaque Aonidum regna tenere iuuat.

Dextra chelyn positis imbellem subrogat hastis,
Diligit & citharam, quae modo tela, manus.

Orbis quae docti melius moderetur habenas,
Aut, Patris exemplo, nostra vireta riget?

Ergo Rex audit Pindi, Princepsque iuuentae,
Inque clientela nos finit esse sua.

Auspicioque bono Viadrinam inuitat in urbem
Quotquot doctorum cultior orbis alit,

Quum veniae musis spes sit non vana merendae,
Sceptraferasque optet tangere quisque manus;

Canities morem gerit, & collecta iuuentus,
Sidere nimbo non remorante viam.

B

Frigora

Frigora quae restant generosus mitigat ardor:
Nec cursu innectit ventus & vnda moram.

Et si terra locusque vetant, tamen vnus & alter,
Gaudia qui coram testificetur, adest.

Et festae propius lucis venerantur honorem
Teutona doctores quîs sibi terra placet.

Et capis extremo venientes litore musas,
Quae lacto Viadri murmure ripa fremis.

Et vel longinquo disinctos orbe Britannos
Obsequii tangit gloria, honosque tuus.

Et ciuis prope te Constantinopolitanus
Laurea quae redimant tempora ferta legit.

Approperantque gradum variis e partibus orbis
Credibili plures, innumerique viri.

Et praeceps vulgus, confusa sine ordine turba,
Quae numero arctabit tecta viasque, ruunt.

Odera festiuis complenda tonitribus aera
Iam non adstrictis frigore vectat aquis.

Instrumenta necis ponunt fluuiusque rigorem,
Creditur & fortis conscius ille suae.

Audio clamores laetos, strepitusque, tumultusque,
Et Martis passim fulmina rauca tonant.

Et plausus geminant litui, clangorque tubarum,
Cornuaque armigeros docta ciere viros.

Perfringuntq. oculos tot ferra vomentia flammâs,
Quae modo non quaerit commaculare cruor.

Ma-

Magnificoque arcus cultu, pretioque superbi,
Quos nisi miranti lumine nemo videt.

Artificum caelo labor ingeniisque politus
Quae Rex auspicio prouocat ipse suo.

Altius humanae molimina surgere dextrae,
Nec vires artem destituisse, doces.

Par nihil egregiae formarunt Mentoris olim,
Aut Polycleteae, Parrhasiaeue manus.

Sed mage, rex, pompis animum solemnibus explēs,
Augustumque vouet cingere quisque latus.

Et non festino spectandum lumine Regem
Obsertualle, viae praemia magna vocant.

Iamque triumphalem cum regifico comitatu,
Principibusque viris, figis in vrbe pedem.

Oblectat terretque animosque oculosque tuentum
Quae modo maiestas se cupit esse minor.

Vt maiestati dubiam clementia palmam,
Qua Regem quaeris dissimulare, facit!

Et iam festiuis urbem rumoribus implet,
Turbaque nil votis gaudet abesse suis.

Et iam finitimis caput effert altius vndis,
Et maior Viadrus se solitoque fluit.

Pregela honoratae plaudunt & Rura Sorori,
Edit & hos festo murmure Sala sonos.

Fortunata soror, cui tot gratantibus vndis
Assurgunt fluuii, laetitiaque fremunt.

Non

Non habuit tantum mihi Rex FREDERICVS honorem,
 Quum faceret musis otia laeta meis.

Excessura fidem quamuis documenta fauoris,
 Et dederit studii pignora mira sui.

Et numquam similis Ruræ laus contigit alueo,
 Quis dubitare, fidem re faciente, queat?

Et quamuis iactet regales Pregela cunas,
 Nunc habet inuideat quod tibi, fausta soror.

Haud rarum decus inuideo, fortemque benignam,
 Sed veluti proprio laetor honore tuo.

Concedat Graeci Viadrino gloria Pindi,
 Nec lauet Aonioste prior annis agros.

Gratantur Viadroque, sibi que & ciuis & hospes,
 Perfugiumque colunt natio docta suum.

Et capiti deuota suo studiisque iuuentus,
 Dat citharae plausus signa lyraeque sono.

Et Domini blando vocum modulamine dotes,
 Quodque negat nomen crescere posse, canit.

Dat musis faciles Rex augustissimus aures,
 (Felices tanto quâs licet ore frui!)

Obsequiique coli patitur se munere Princeps
 Regius, & caetus fama decusque Duces.

Scandit rostra Dei praeco, templique cathedram,
 Facturus festa verba diserta die.

Mane viri sacro Rex pendet ab ore, Ducesque:
 Et laudes resonant templa canora Dei.

At

At medius quam lauta dies conuiuia adornat;
Sufficiunt pisces aequora, terra feras.

Has Luculleas (quid erat pretiosius istis?)
Et merito Alcinoi dixeris esse dapes.

Regicum vix fert genialis mensa paratum,
Et quiddam intuitus quo satieris habet.

Sat mensis epulisque datum. quae pabula menti
Suppeditant Regem musica templa manent.

Hic Pindi interpretis Regisque Ducumque fauorem,
Et celebrat faustam, quo valet, ore diem.

Musarum chorus exultat, solumque queruntur
Exiguas nimium temporis esse moras.

Vt non sit pretium momenti vile diei
Aetas quam solum conspicit vna semel:

Laetitiae dandis haud sufficit vnica signis
Accensis facibus continuanda dies.

Quae modo voluebas nitidos argentea fluctus,
Nunc auro Viadri concolor vnda micat.

Splendescunt noctu festis tua flumina flammis,
Astriferos ardent quae superare polos.

Et quae regales teneant spectacula visus,
Adspectat ripis turba propinqua tuis.

Et caeli sibi fidereos errare per axes
Visa, suis oculis vix habet ipsa fidem.

Scilicet innumeros ignis sese aptat in vsus,
Et modo subsidit, qui modo summa petit.

C

Quo-

Quocunq. adspicias iubar vndique & vndiq. fulgor,
Puluereique globi, sulphureaeque faces.

Miratur splendorem, & non sua sidera Vesper,
Et Viadrus luxum suspicit ipse suum.

Fallor, an apparens caelo fax dira cometae
Flammigeram caudam post sua terga trahit?

Fallor, an obscura fulgur de nube coruscat,
Et longo ignitum tramite signat iter?

Vt simul alterno miscetur murmure olympus,
Aeriaeque tonant fulminis igne plagae!

Terrificus reboat fragor, & caelum omne remugit,
Et foeta horrifonos aera vomunt tonitrus.

Quis reliquos potis est plausus memorare canendo?
Haec alios nobis cura negata premat.

Quis laudes, FREDERICE, tuas, mirumque fauorem?
Officit ipse nitor, copiaque ipsa nocet.

Tu genus humanum Tibi deuincire laboras:
Te musae Augustum quem venerentur habent.

Sufficit & musis Clarias sitientibus vndas,
Auspice Te, Viadrus, Pregela, Rura, Sala.

Et quot sunt partes terrarum totius orbis,
Musarum sedes tot ditione tenes.

Has Galli, Hispani, Aufonii, Britonesq. frequentent;
Has Zephyrus, Boreas, Eurus & Auster ament.

Pierisque chorus Luparae non amplius aulam,
Sequanidumque petat captus amore lares.

Sau-

Saucius intret eques loca musis hospita quondam,
Saucius haec intret qui nequit ire pedes.

Et quos noxa iubet dignas persolvere poenas,
Et sua quos armis plaga vacare vetat.

Iam prona instabiles variari Gallia ritus
Fortunae mutat, denique victa, vices.

Litigero exitium Regi fatale paratur,
Nec domini melior sorte, camena, tua est.

Non Lodoicus amat, non auget & excitat artes
Amplius, aut studiis iugera grata fouet.

Et nil Borboniae quicquam nisi triste camenae
Flebilibus norunt ingeminare modis.

At Tu ne spretis musis doctus ruat orbis,
Fulcis subsidio musica tecta tuo.

Incumbitque tuis tota inclinata lacertis,
Ne pessum Aoniae gloria gentis eat.

Non tantum gladiis, calamis se regna tuentur,
Et gladii & calami, te, FREDERICE, iuuant.

Et veluti pennas Aquilae fulcire videntur
Quae radiant nummis aurea scepra tuis;

Haud secus inclinas cynorum regia pennis
Scepra, tuaque omnis musa superbit ope.

Quae meritis se non debent praeconia tantis?
Quae se non debent vota precesque Tibi?


O longum valeas, & vincas vota merendo,
Quae Pindus sospes post duo saecla facit.

Illius

Illius vt festa instaures solemnia pompa;
Obueniant vitae tot quoque saecula tuae.
Sique licet mundo tantum sperare bonorum,
Regni itidem celebres saecula bina tui.
Et veluti Pylus Rex per tria saecula mortem
Tardauit; veniat sic quoque sera Tibi.
Et velut in puero est animos venerata virileis
Quae quondam iuuenem credidit aula senem:
In sene sic stupeat iuuenilem fausta vigorem
Posteritas, quae Te nesciat esse senem.



NATALI
ACADEMIAE VIADRINAE,
^{QVVM}
CLEMENTISSIMO AVSPICIO AVGVSTI
BORVSSIAE
REGIS,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO



FREDERICO
HELMO,
NI BORVSSIAE,
ATQVE
TVS BRANDENBVRGICI
HEREDE,
E *MAGNIFICENTISSIMO,*
CID 10CCVI.
XXVI. APRILIS,
^{QVO,}
RO AD FORTVNATVM EXITVM PERDVCTO,
TIVM FELICITER INCHOAT.
MAGNIFICENTISSIME CONCELEBRARETVR,
ETHLIACON
DICAT,
XIMIQUE REGIS
IBVS IN ORBEM LITTERATVM
MERITIS
HVMILLIME PLAVDIT
NVS KORTHOLTVS,
E MORAL. ET POESEOS PROF. ORDIN.
E ORDINIS SVI H. T. DECANVS.
KILONI,
THOLDI REVETHERI, ACADEM. TYPOGR.

